



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Quanta sit Mundi huius felicitas; immò quàm infelix?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

I. Cor. 13.
12.

I. Cor. 2.9.

S. August. de
Salutarib.
document.
cap. 56.

lio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius. Hæc est alterius vitæ felicitas, vel umbra potius felicitatis. Nam quidquid nunc videmus, per speculum videmus & in enigmate duntaxat, siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus ijs, qui diligunt illum. Ex his talibus principijs, facit hanc deductionem idem S. Pater. Nihil nos terreat mundi infelicitas, quia si istam infelicitatem mundanam Sancti DEI omnes timuissent, perpetuam felicitatem non haberent. Si felicitas huius mundi transitoria diligitur hic, perpetua non inuenitur. Ad perpetuam felicitatem tendamus, ubi patriam & parentes habemus, patientissime omnia huius mundi mala, pro Christi nomine, toleremus. Quid est, quod tolereatur, contra illud, quod nobis promittitur? Apostolus inquit, non sunt condigne passionis huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur, in nobis. Nulla ergo nos terreat pressura, nulla calamitas frangat.

III.

Idem, in
Psal. 109.

Idem, lib. de
vera innoc.
cent. c. 199.

Et l. 50. ho-
mil, hom. 10.

Idem ferm.
26. in Ioan.

Idem in Psal.
26.

Intueamur nunc etiam, quæ sit huius vitæ Fortuna, quæ felicitas? ex eiusdem Patris sententia. Primum, temporales res nemini conferunt veram felicitatem, quia non eximunt insatiabilem cupiditatem. Qui enim biberit ex hac aqua, sitiet iterum. Secundò, Numquam debet segura esse felicitas: quia periculosiora sunt animo segura, quam corpori aduersa. Prius enim corrumpunt prospera, ut inueniant aduersa quem frangat. Tertiò, quia non colimus Deum, ut hic felicitatem habeamus. Quanti illam habent, quia non colunt Deum? Vt hic senescamus, & decrepiti efficiamur? Quanti senescunt blasphematores Dei? Nec ideo colendus est Deus, ut cultores illius habeant filios, & non sint steriles. Filios enim Deus & onagris & serpentibus dat. Non ergo pro magno & vero bono petendum est, quod & Iudeis, & Paganis, & hæreticis, etiam & ipsis bestijs datur. Aurum enim & argentum, & honores, & filios, & patrimonia multi habent etiam mali. Quartò, quia non permittit Deus malos esse felices, sed ideo malus felix putatur: quia quid sit felicitas, ignoratur. Vnde, si idem est felicitas, quod Fortuna, ignorans fuit Lucanus, qui dixit: *Seruat multos Fortuna nocentes.* Non Fortuna illa fuit, sed infortuniū. Quid ita? Quia felix vocatur quisque, quando, quod amat, habere videtur. Verè autem felix est, non si habeat, quod amat, sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quam carendo. Amando enim res noxias miseri sumus, habendo miseriore. Et propitius Deus, cum malè amamus, negat, quod amamus: iratus autem dat amanti, quod malè amat.

Ac, no